



~~Ph.~~ EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.
VITEBERG.

VI-27
SIGNAT. CLVCCCCXIII.

St. Mikkel. alced

9.
DEO TRINIVNO DVCE,
THEOREMA

Quod Deus unus Essentiâ, trinus sit personis.

Moderatore

REVERENDO AC CLARISSIMO VIRO, Dn. IOHANNE GEORGIO VOLCKMARO, S.S. THEOLOGIAE Doctore ac Professore publico,

Contra Tritheitas & Antitrinitarios.

Ad disputationem nonam in Collegio studiosorum
Theologiae privato propositum

à

M. IOACHIMO PRAETORIO
Lunaburgensi.

Respondente

M. GEORGIO GERHARDO
Kittingensi Fr.

6. Decembris, Anno 1595.



WITEBERGÆ,

Typis M. Georgij Mullerj. Anno 1595.



REVERENDO ET
CLARISSIMO VIRO, DO
CTRINÆ AC DEXTERITATIS LAU.

DE ORNATISSIMO, DN. DAVIDI RYNGIO,
S. S. Theologiæ Doctori ac Professori in ce-
leberrima Witebergensium Academia
dignissimo,

*Domino ac Præceptori suo reverenter & officiosè colendo,
memoris gratæq; mentis testificandæ ergò,
Propositiones hasce consecrat & offert,*

M. Ioachimus Prætorius
Lunæburgensis,

PROPOSITIONES THEOLOGICÆ

De

DEO VNO ET TRINO.

Thesis I.



Hæc est vita æterna, Salvator ait, ut cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum.

II.

Tametsi verò DEVM ESSE, natura luce, & ex libro mundi omnibus hominibus quadamtenus perspicuum est: Sicut Paulus testatur: τὸ ὄψωσιν τῶ θεῶ manifestam est in ipsis. Nam Deus manifestum fecit eis: Invisibilia enim ipsius, iam inde à condito mundo ex rebus factis intellecta pervidentur, æterna videlicet ejus tum potentia, tum divinitas. Quibus suavissimè concinit homo ille Ethnicus: Quid potest (inquit) esse tam apertum, tamq̃ perspicuum, cum cælum suspeximus, cælestiaq̃ contemplati simus, quam esse aliquod numen præstantissima mentis, quo hæc regantur.

Ioh. 17. v. 3

Roman. 1. v. 19. & 20.

Cic. lib. 2. de nativ. Deorum.

III.

Veruntamen, cum illa cognitio infinitis modis sit imperfecta & obscura, & non faciat ad salutem, sed potius inexcusabiles reosq̃ arguat ac condemnet, quicunq̃ hac sola tincti & contenti sunt: idcirca ad librum alium convertere animos oportet, qui est Scriptura sacra, ex qua omnem salutis nostræ rationem promendam ac discendam esse, superioribus aliquot disputationibus ostensum & obtentum fuit.

Roman. 1. vers. 20.

IV.

Non enim aliter cognosci aut coli Deus amat, quam ipsemet revelavit ac præcepit: Quin etiam nemo cognovit Filium nisi pater, neq̃

Matth. 11. vers. 17.

nec, patrem quisquam novit nisi filius, & cuiusq; voluerit Filius
revelare: frustra etiam colitur Deus mandatis hominum.

V.

Verum enimverò quæ usquam Dei patefactio existat extra
hanc scripturam? unde præcepta divina petere & haurire datur,
præterquam ex libris bibliorum Canonicis?

VI.

Quocirca licet nulla nunquam gens tam barbara aut effera fue-
rit, quæ non noverit esse Deum, cumq; colendum: Omnes tamen,
quæ sacrarum revelationum rudes exstiterunt, atq; ignaræ, Verum
Deum nesciverunt, nec quomodo is colendus sit, noverunt.

VII.

Roman. 1. Hinc cæco impetu rapti gloriam incorruptibilis Dei mutarunt
vers. 23. in efformatam imaginem corruptibilis hominis, & volucrum, et qua-
drupedum, & reptilium, præteritoq; Creatore rebus creatis servie-
runt: unde numerus Deorum in infinitum ferè apud Ethnicos, imò
2 Cor. 8. in hortis etiam succrevit: quod neq; Apostolus dissimulat, ubi ait:
vers. 6. Sunt Dij multi & Domini multi.

VIII.

Sed prætermisissis illis Gentilium figmentis, ut quæ etiam à Senio-
ribus Ethnicis ipsis delusa & explosa sunt: πολυθεότητα enim &
ἀθεότητα ejusdem esse insania Proclus adseruit: eorum solummodò
opinionem trutinabimus, qui sacras professi literas, nostræ ex iisdem
petita de Deo sententia & fidei adversantur: quales sunt Tritheïta
& Antitrinitarij. τὸ τριθεϊστικόν.

VIII.

Inter quos, & Nostros hoc in questione est: utrùm Deus unus
essentia, trinus sit personis, sive ut symbolum Athanasij
habet: Num unus Deus in Trinitate, & Trinitas in unita-
te sit veneranda. ἑνθεϊστικὸν τῶν διδομένων.

I. τὸ ἑνθεϊστικόν.

X.

Quæstio hæc quandoquidem inter eos, quibus sacræ literæ sunt
authentice, agitur, non dubium est, quin Deus intelligatur be-
nedictus

dictus & solus potens, rex regum & Dominus Dominorum, qui
solus est incorruptibilis, & inhabitat lucem ἀπρόσβροτον, quem vidit
nemo hominum, neque videre potest, cui gloria & imperium sempi-
ternum, qui antequam esset dies, ille idem fuit, qui creavit omnia,
extendens caelos solus, & expandens terram per seipsum, qui denique
per Prophetas olim, postremis vero temporibus per filium suum, quem
misit in hunc mundum, locutus est, & voluntatem suam patefecit.

1. Tim. 6.
vers. 5.
Daniel 2.
vers. 47.
Esa. 43.
ver. 13. cap.
44. ver. 24
Heb. 1. v. 1

II. τὸ ἐπομένον.

XI.

Unum sive Unitatem intendimus non κατὰ γένος, neque κατὰ
εἶδος, sed κατὰ ἀριθμὸν, quod etiam ostendit vox, quae proximè ad-
iicitur, Essentia.

XII.

Deum verò Essentiam esse, oracula sacra produnt. Quamlibet
enim idem non existant apices, clarissime tamen sensus iste elucet,
quando Iehova appellatur, idemque nomen ipsius proprium esse stabi-
litur. Etenim יהוה descendit ab יהוה, Fuit, existit, ut vox illa pro-
priissime Essentiam exprimat.

Esa. 41.
vers. 8.

XIII.

Hinc interrogatus de nomine suo Dominus respondit: יהוה
יהוה. Ero qui ero misit me ad vos, eandemque ob rem in Apoca-
lypsi Iohannis vocatur ὁ ὢν. In Epistola autem Petri 2. cap. 1. Essen-
tia Dei dicitur θεῶν φύσις.

Exod. 3.
Apocal. 1.
vers. 4.

XIV.

Atque haec τὸ ἀριθμὸν una & simplicissima est, omnis συνθέσεως
expers. Omni enim principio caret.

XV.

Quare cum Deus in sacris bonus, misericors, justus, sapiens, &c.
pradicatur, non sit, quasi haec virtutes in ipso accidentaliter inhere-
ant, (In Deum enim non cadit accidens) verum potius, quia per es-
sentiam talis est, qua ratione solus bonus, solus sapiens merito lau-
datur, aut rectius ipsa bonitas, ipsa sapientia, iustitia, sanctitas &c.
nominatur.

3

Etsi

XVI.

Etsi verò in hac caligine mentis nostra essentiam Dei qui ἀπὸ
 ὧ, ἀνεξερέουντο, καὶ ἀνεξίχνιστος ὧ est, penitus per vestigare et co-
 gnoscere non contingit. Melius enim ἀναφαυλῶς quid non sit, quàm
 καταφαυλῶς, quid sit, percipimus.

XVII.

Tamen quantum ex scriptura haurire datur, constat eam esse
 2. Cor. 3. spiritualem & incorpoream. Deus enim Spiritus est 1. Iohan. 4.
 vers. 24. qui carnem & ossa non habet, Luc. 24. vers. 39.

XVIII.

Si igitur Deo, quò Deus est, manus, brachium, aliavè corporis
 humani membra & affectus attribuuntur, id ipsum non proprie, sed
 κατ' ἀνθρώποπρόθεσιν fieri palàm est.

XIX.

Porro Trinum esse, sive Trinitas, non significat trium uni-
 tatem, ut Valentinus Gentilis asitè excogitavit, & Thoma Etymo-
 logia approbat. Refertur enim non ad Essentiam Dei, quam Valenti-
 nus unam ex tribus illis, & quidem nominatim Patrem dixit, sed
 ad personas, quarum Trinitas est, sive numerus ternarius. Tres e-
 nim personae, Pater, filius & Spiritus sanctus in essentia una credun-
 tur. Atq; ita Trinitas in hoc mysterio unitati opponitur, non ab ea,
 ut nec alias, etymologicè componitur. Sicut enim Unitas ab uno, sic
 à trino trinitas promanat. Idq; insuper Græca etiam vox τριάς e-
 vincit, ubi strophe illa non reperit locum.

XX.

Quamvis autem vocula ipsa secundum literas explicitè non
 legatur in codice sacro, luculenter tamen exinde eruitur: ut quan-
 do in trium nomine jubentur baptizare Apostoli, quando in opere
 Matt. 28. vers. 19. incarnationis Christi, ejusdemque baptismo tres se patefactunt,
 1. Iohan. 5. vers. 7. quando tres in cælo sunt, qui testimonium perhibent: quantum
 queso abest, quin Trinitas audiatur, legatur, intelligatur? Quo
 modo re suppetente, quare ab elementis abstinendum sit, non vi-
 deo.

Persona



XXI.

Personæ autem vocabulo non notatur in hoc mysterio Qualitas, ut Laurentius Valla impie Qualitates in Deo statuit, easque dicit esse personas, quæ ab eo esse non possunt: neq; officium, ut Tres personas esse in Deo, nihil aliud sit, quam tria sustinere officia, quorum respectu unus Deus, prout distincta officia obeat, modo pater, modo filius, modo spiritus sanctus vocitetur.

XXII.

Verum Persona exprimit quandam in Deo differentiam realem, qua tres illi essentiam unam (quia ἑμῆς & ea est, & partem extra partem non habet) ὁλωσ ὁλικῶς participantes, Pater, Filius, & Spiritus sanctus, in se singuli singulatim subsistere dicuntur, unde Græcis appellatur ὑπόστασις. Quid multis? Persona hic idem est, quod ὑψίστου, quoddam subsistens. Quæ significatio tam profanis quam sacris autoribus etiam familiaris est.

Διορισμὸς τῶ ζήτημένῳ.

XXIII.

Atque talem essentiæ divinæ unitatem, & in unitate ista personarū trinitatem, nos ratione captivata ex verbo revelato simpliciter credimus & adoramus.

XXIV.

Adversarij verò, ratione praside, quæ ἀπὸ ἀδελφῶν suggerit regeritq;, Vnum non esse tria, mysterium hoc labefactare conantur: quorum alij primam assertionis nostræ partem, Essentiæ unitatem abnegantes, tres Deos, mentes, aut Spiritus æternos κατ' ἑοῖον differentes fabricant, quales sunt Tritheita, Valentiniani, Valentini Gentilis assecla, & olim Perata, Philoponus, Anselmus, Lullus &c.

XXV.

Alij posteriorem impugnant, nempe Trinitatem, unde Antitrinitariorum titulo insigniuntur, & vel omnem personarum distinctionē tollant, ut Samosatensis, Sabellus, Servetus &c. vel Christo tanquam minimè ὁμοουσίῳ καὶ ὁμοειδίῳ divinitatem suffurari moliantur.

moluntur, ut Ariani, Eunomiani, Blandrata, Franciscus David, Mahumetista, Iudaei moderni, & alij. Vel Spiritui sancto resistunt, qui πνευματομάχοι dicuntur, ut sunt Macedoniani.

X X V I

Sed falsas & erroneas esse horum Sectariorum opiniones, liquabit, ubi tum nostrorum Sententiam κατασκευασικῶς indubitatis rationam theologiarum momentis propugna verimus & muniverimus, tum adversorum somniorum nebulas ἀνασκευασικῶς breviter discussimus.

κατασκευή.

Primus Locus, de Essentiae unitate.

X X V I I.

Deut. 4. ver. 35. & 39. Iehova Deus ipse est in caelis supernè & in terra infernè, nullus amplius est præter eum.

3 Reg. 8.
verf. 23.

Item, Iehova Deus Israelis, Nullus est similis tibi Deus in caelis supernè, aut terra infernè.

Esaï 45.
verf. 5.
Item 44.
verf. 6.

Ego Iehova & nullus præterea, præter me nullus est Deus.

X X V I I I.

Unicus igitur Deus Israël, Verus est Deus, ut citra discursum alteriorem ex dictis patet: Idem verò unus est, ut sequentia probant testimonia.

X X I X.

Marc. 12.
verf. 29.

Deut. 6. vers. 4. Audi Israel, Iehova Deus noster, Iehova unus est. Item, I. Corinth. 8. vers. 5. Nobis non est Deus: Siquidem Deus unus est, qui justificat circumcisionem ex fide, & præputium per fidem.

Roman. 3.
verf. 30.

X X X.

Estq; ad numerum unus, quod tali syllogismo demonstratur: Si nullus est omnino Deus vel in caelo vel in terra, præter unum Deum Israelis, & si nullus usquam similis ei, utiq; non specie vel genere, sed unitate numerica unus erit.

Sed prius vero verius, ex allegatis.

Ergo & posterius.

Ratio

XXXI.

Ratio connexionis in propositione hypothetica firmissima est: Nam genere vel specie unum dicuntur multa inter se ratione superioris alicujus similia ejusdemq. rationem equaliter participantia. At prater Deum istum non est alius, nedum multi, non est similis ei in caelo aut in terra, ut ex precedentibus constat, neq. est superior. Ipse enim solus altissimus, imò non solum Ens summum, sed Ens superessentiale est. Ergo non genere, neq. specie unus est, sed solum numero. Reliquos enim modos, de quibus Aristoteles l. b. 5. Metaphys. cap. 6. in Deum competere nemo dixerit.

XXXII.

Est essentia unus, quod hac ratiocinatione concluditur: Vox Iehova ipsissimam Essentiam exprimit. At Deus Israelis, est Iehova unus. Ergo ipsa Dei Israël essentia una est, sive Deus ille est essentia unus. Major propositio ex thesi 13. manifesta est, Minor ex loco Deut. 6. v. 4.

XXXIII.

Deum itaq. unum esse unitate numerica & essentiali, ἀμστὰ ἑστωῦ est.

LOCUS II.

De quadam pluralitate in uno illo Deo.

Jerem. 10. vers. 10. יהוה אלהים אמת הוא אלהים חיים hoc est, Iehova est Elohim veritatis: ipse est Elohim viventes. Iosua 24. v. 19. Iehova est Elohim sancti. Huc refer illud: In prin. Gen. 1. v. 1 cipro creavit Elohim coelum & terram.

XXXIV.

Syllogismus fiat huiusmodi: Si Iehova Deus ille Israelis, essentia unus, est Elohim; utiq. idem multus erit. Sed Antecedens verum ex scriptura locis citatis. Ergo. Nexus hypothetica est: Nam Elohim, uti plurale est, ita non unum, sed plures significat.

XXXV.

Quod verò Bellarminus Rabbinizans, Calvinum sortè secutus, ostendere conatur, numero illo multitudinis Elohim, non pluralitatem, sed dignitatem notari, ridiculum se prabet, ut qui illud quod de Elohim probandum erat, de Adonim ostendit, ubi non vertitur controversia cardo.

B

Dictum



36. Dicitur enim ex 20. cap. Exod. prolatum, non dignitatem sed multitudinem propugnare, luce clarius est. Quandoquidem populus Iudaicus non ab uno quod, sed ab omnibus Dijs commentitijs, qui sanè benè multi fuerunt, abstinere iubetur. Et quis tam hebes, qui non facile percipiat absonum esse, Spiritum sanctum Deo commentitio, honoris gratia, multitudinis numerum tribuere?

37. Verbum autem singulare adjectum, tantum abest, ut multitudini detrahat, ut potius omnes & singulos Deos alienos perstringat, sensus enim est; Non erit tibi ullus Deorum alienorum, ut similes loci arguunt, 2. Reg. 7. vers. 11. Exod. 19. vers. 16. Et. Secundum regulam vulgarem: Nomen plurale constructum cum verbo singulari exponitur partitive.

38. Ad eundem modum omnes & singuli Elohim, qui quidem Iehova sunt, unius & ejusdem actionis, nempe Creationis auctores, & caeli terraeq; opifices perhibentur. Genes. 1. vers. 1.

39. Sed neque silentio praeterendum est vasamentum & dolus Bellarmini, qui ut videretur licere sibi de Adonim demonstrare, quod de Elohim debet: sinxit nostrates mysterium credere, ubi mysterium non est, neq; à nostris agnoscitur, nempe Isai. 2. vers. 4. Prohibitu enim ex singulari facit plurale, dum legitur (quasi πρὸς τὸν εἰς) Domini ridebit, cum verba sonent, Adonim (quod singulare est & peculiare vero Deo, omnino repudiatis tam pluralem numerum quem adfixa, ad formam tetragrammi Iehova) Dominus ridebit.

40. Nauci igitur sunt exempla, quibus homo iste Rabbini sumum à se declinare laborat; immotumq; perserat, loca illa citata mysterium complecti.

41. Vbi enim vox Elohim de Iehova praedicatur, vel ubi de Elohim indivisa & solius Iehova propria actio singulariter enunciat, vel demum ubi Elohim ad singulare postmodum restringitur; ibi & pluralitatem quandam & unitatem in Deo expresse notari statuimus.

42. Si etenim honoris ac dignitatis gratia multitudinis numerus adhibetur, quæro cur non semper eodem honore afficiatur, qui semper

per

per idem est & permanet; cur saepe singulariter nomen illud veniat, ut Dent. 32. vers. 15. Hiob 35. vers. 10. &c.

43. Nec obstat, quod dicere non licet Esse plures Deos, quemadmodum Elohim significat plures. Nam evenit istud ex usu vocis Dei, quae nobis ex consuetudine essentiam respicere videtur, adeo ut quamprimum Deos nominare audias, plures essentia, & quidem à se invicem separatos, mente concipias.

44. Hinc ob rem Hieronymus & nonnulli Interpretes alij vocem Elohim non reddidère $\kappa\lambda\eta\delta\upsilon\upsilon\lambda\eta\kappa\omega\varsigma$, Quamvis alij propriam vocum significationem rimantes, eam ipsam plurali numero interpretari nunquam subterfugiant, inter quos est Benedictus Arias Montanus, ut videre est ex Biblijs Xantis Pagnini hebrais.

45. Nec Iudaei adparentibus illis contradictionibus perturbari potuerunt: Siquidem Elohim isti non extra I. bovam, sed in hoc ipso unico & uno considerandi & adorandi in sacris proponuntur, ut ex adductis in exordio huius loci testimonijs obvium est: Quin imolocutione isthac mysterium ipsum sic satis dilucide ostenditur. Reliquam cerebri Bellarmini sobolem in ipsa $\sigma\upsilon\lambda\lambda\eta\kappa\omega\varsigma$ peccendam remittimus.

46. Deniq; observandum hoc loco, quod mysterium illud, structura vocum aliàs in sacris explanatum, non raro etiam punctis & consonis innui videatur, ulli nimirum consonantibus יהוה (quae in essentiali illo Dei nomine advertuntur) substerni vocales אלהים (quam vocem in Deo multitudinem aliquam notare jam ante probavimus) Grammatici testantur, puta, Gen. 15. v. 2. Item 2. Sam. 7. vers. 28. &c. ubi legitur: יהוה .

47. Quod enim $\delta\alpha\sigma\iota\delta\alpha\mu\omega\nu\iota\alpha$ Iudeorum somniatorum sua enunciatione sanctum illud $\kappa\tau\epsilon\lambda\epsilon\gamma\gamma\alpha\mu\mu\omega\nu$ profanari, hanc punctationem invexerit, non est verisimile: Siquidem conscientia sua metuentes ne unam quidem literulam vel punctulum, etiam quod manifeste adulterinum viderunt, expungere aut mutare sunt ausi, ut satis superq; restatum fecerunt Masorithae. Autores verò sacrorum codicum, aut Esdram (si cui placet hic punctorum inventor. Id enim hoc loco non disputo) eadem superstitione fascinosos fuisse, & incredibile & falsum est.

48. *Supersant alia dicta quamplurima, quibus pluralitas quadam in Deo evincitur, quae omnia recenseri hic nequeunt, uti Genes. 1. vers. 26. Faciamus hominem ad imaginem nostram. Ibid. II. v. 7. Agendum descendamus & confundamus sermonem eorum. Ioh. 14. vers. 23. Ad eum veniemus & mansionem apud eum faciemus. Huc faciunt & illa: Genes. 19. vers. 24. Iehova pluit sulphur & ignem à Iehova è caelis. Hos. 1. vers. 7. Servabo domum Iuda, per Iehovam Deum ipsorum, &c.* L O C U S I I I .

De pluralitate illa determinata, seu de Trinitate.

Psal. 33. vers. 6. Iohan. 5. vers. 7. Math. 28. vers. 19. 49. Verbo Iehovæ caeli firmati sunt, & Spiritu oris eius omnis exercitus eorum. Tres sunt qui testificantur in caelo, Pater, sermo & spiritus, & hi tres unum sunt. Euntes docete omnes gentes, & baptizate eos in nomine patris, & Filij & Spiritus sancti.

Gal. 4. v. 6. Emisit Deus Spiritum Filij sui in corda vestra. Huc pertinet τριθεότυπον illud sanctorum Seraphim, Esa. 6. vers. 3. & Apocal. 4. vers. 8. & similia multa, Ioh. 14. v. 16. 17. & 26. 30. Inde colligo: Sacra scriptura ad summum meminit trium, qui in intimum Iehovæ consortium adsciscuntur, & quibus opera, nomen & honos soli Deo competentia tribuuntur. Ergo Deus est trinus, sive in Deo est Trinitas, non Quaternio, &c.

51. *Anecedens patescit ex locis scripturae jam iam adductis, quibus tres pater, Filius, itemque spir. S. exprimuntur, quorum singulorum nomine baptizare Apostoli jubentur, & quibus opus creationis ascribitur.*

52. *Sed hoc ipsum de singulis astruere facilius & luculentius erit. Gen. I. Iehova introducitur, per cuius rō Dicere omnia creantur. At verò illud dicere seu verbum per quod mundus factus, Ioh. I. v. 10. per quod omnia facta sunt, & sine quo factum est nihil, quod factum est, v. 3. est unigenitus à patre. v. 14. Denique spiritus sanctus a quo incubat, easque fovet. Gen. I. v. 2. & Hiob. 33. v. 4. inquit, Spiritus Domini fecit me.*

53. *Nec aliorum vel plurium scriptura usquam mentionem facit. Tres itaque illi tantum sunt, quibus Creatio in sacris effecta refertur. Iisdem in mysterio incarnationis Christi concurrunt: Pater enim mit-*

tit

rit filium incarnandum, Filius assumit carnem, Spiritus sanctus in-
ambat, & virtute sua omnipotenti imprægnat Mariam.

54. Porro patrem, Deum esse glorificatum, diciq; Iehovam extra
controversiam aleam positum est.

55. λόγος verò seu Filium ejus unigenitum, esse Deum totidem li- Ioh. 10. v.
teris testatur Iohannes, 1. cap. v. 1. ὁ λόγος & erat Deus, item 1. Ioh. 5. 33. 36. 1. Ti-
v. 20. Hic est verus ille Deus. Sic etiam Paulus Rom. 9. v. 5. super o- mol. 3. v.
mnia benedictus Deus in secula. Esa. cap. 9. v. 6. Deus fortis. 16. Tit. 2.
vers. 13.

56. Deinde sacra scriptura Nomen Iehova soli Deo vero proprium
(ut ipse protestatur Esa. 42. v. 8. Ego sum Iehova, illud est nomen
meum, & gloriam meam alteri non dabo.) tribuit filio, qui secundum
carnem ex patribus est, & Germen Davidis, Ierem. 23. v. 6.

57. Et honos adorationis ipsi tanquam Iehova vendicatur, Rom.
14. v. 10. & II. Philipp. 2. v. 10. & II.

58. Spiritus sanctus similiter Deus & Iehova nuncupatur 2. Sam.
23. v. 2. Spiritus Iehova locutus est per me: Dixit Deus Israelis,
mihi locuta est rupes Israelis. Nam. 12. Iehova locutus est per Moy-
sen, 1. Reg. 22. ver. 28. & 38. per Micham. Summa, Dominus Deus Esa. 6. v. 9.
Israelis locutus est per os sanctorum, qui à seculo fuerunt, Prophetarum suor. Act. 23.
Luc. 1. v. 70. Act. 3. vers. 21. vers. 25.

59. Sed iste Iehova, qui locutus est per Davidem & reliquos Pro-
phetas, est spiritus sanctus. Act. 1. v. 16. oportuit impleri Scripturam
hanc, quam prædixit spiritus sanctus per os Davidis. Eph. 1. vers. 5. 2. Petr. 1.
Mysterium nunc relictum est Prophetis et Apostolis per spiritum. Ergo. vers. 17.

60. Dicitur etiam expresse Deus, Act. 5. v. 4. Non es mentitus ho-
minibus, sed Deo, v. 3. spiritui sancto. Sic 2. Cor. 12. v. 6. & II. Deus 1. Corin. 3.
spiritus sanctus efficit omnia, distribuens unicuique, prout vult. vers. 21.

61. Pater itaq; Deus est, Filius Deus, & spiritus S. Deus, non tamen tres Symb. Ad
Dij, sed unus est Deus: Ita Dominus Pater, Dominus filius, Dominus Spiri-
tus sanctus. Et tamen non tres Domini, sed unus est Dominus seu Iehova. thanasij.

LOCUS III.

De reali trium illorum distinctione, seu de Trini-
tate personarum.

62. Ioh. 5. v. 32. Alius est (Pater, qui misit me, v. 37,) qui testis
monium perhibet de me. Iohan.

*Iohan. 14. vers. 16. Ego rogabo patrem, & alium Para-
cletum dabit vobis, nempe Spiritum illum veritatis v. 17.
Spiritum sanctum, vers. 26.*

*Iohan. 15. vers. 26. Cum venerit Paracletus, quem ego
mittam vobis à Patre, & c.*

*Iohan. 1. vers. 1. In principio erat Verbum, & verbum
illud erat A P U D Deum, Iohan. 17. vers. 5.*

63. *Ex his & similibus quamplurimis, qua studiosè, brevitatis
causa, prætereo, ita ratiocinor:*

*Si Pater alius est à Filio, & Spiritus sanctus itidem alius ab u-
troq., singuli verò in se subsistunt & quidem ab aeterno: utiq., tria
ἑνὸς ὄντος seu ὑποστάσεως & persona aeterna, à se invicem reipsa di-
stinctæ, erunt.*

Sed Antecedens verissimum, Ergo & Consequens.

64. *Connexio hypothetica per se clarissima & firmissima est. As-
sumptum vero patet ex citatis testimonijs, Alius enim rogatur, ali-
us rogat, alius mittitur à rogante & rogato. Idem quoq., ex ante-
cedentibus non minus, quam ex sequenti loco clarissimè elucet; ubi
Genitorem è Genito, Procedentem verò ab utroq., revera distinctum
esse, ita ut quilibet in se ab aeternò perfectissimè & beatissimè subsi-
stat, nullus relinquitur dubij locus.*

L O C U S V.

De characteristicis Personarum istarum proprietatis bus, & ordine.

*Actor. 13. vers. 35. Psal. 2. vers. 7. Iehova dixit mihi, Filius meus es, ego
hodie G E N U I te.*

*Iohan. 3. vers. 16. Iohan. 1. vers. 18. Deum nemo vidit unquam: UNIGE-
NITUS ille Filius, qui est in sinu Patris, ille nobis expo-
suit.*

*1 Pet. 1. vers. 11. Iohan. 15. vers. 26. Cum venerit Spiritus ille veritatis, qui
à patre P R O C E D I T, ille testabitur de me.*

Emisit Deus Spiritū Filij sui in corda vestra. Gal. 4. v. 6.

66. *Hinc tale exstruitur Enthymema: De Deo patre, eog, solo
sacra*

sacra scriptura adserit, ab aeterno genuisse Filium; d. solo Filio, ge-
nitum esse ab illo patre, de solo Spiritu S. processisse ab utroque.

Ergo Gignere, Gigni & Procedere sunt characteristica proprie-
tates, quibus expresse tres persona divinitatis à se invicem distin-
guuntur: quarum illa Deo Patri, ista Deo Filio, hac Deo Spiritui S.
in sacris assignatur.

Antecedens ex locis adductis constat. Ab his enim diversum est
contrarium, quae astruant, nulla in biblijs loca reperiuntur.

67. Atq; haec proprietates rationem ordinis quoq; suppeditant: Nam
qui gignit, ordine prior est suo genito; ab his ambobus, qui proce-
dit, posterior utroq;. Pater itaq; prima, Filius secunda, Spiritus san-
ctus tertia Trinitatis persona est; idq; non ἄδωκ ἢ ἠδωκ, (quippe ae-
ternitas harum personarum non admittit temporis intervalla; neq;
prærogativam dignitatis, essentia identitas) verum τὰς quoad ori-
ginem, ut dictum est.

68. Idem etiam hac ratione dilucidum evadit: Sicut Pater habet Iohann 5.
vers. 26.
vitam in seipso, sic dedit & Filio vitam habere in seipso, non con-
tra, Spiritus sanctus autem, de meo (inquit Christus) accipiet. Iohan. 16.
v. 14 et 15.
Omnia enim, quae habet Pater, Mea sunt: Prop: eia dixi illum de Meo ac-
cepturum & renunciaturum vobis. Proinde pater, (qui dat &
non accipit) prior est filio, (qui accipit) & hic (qui accipit quidem,
sed dat etiam) prior Spiritui sancto qui accipit & non dat; conside-
rando Trinitatem in se, sive ad intra, ut Augustinus loquitur.

69. Eundemq; ordinem explicitè nobis monstrat Servator, quando Matth. 28.
vers. 19.
infit: Baptizare eos in nomine Patris, Filij & Spiritus sancti.

70. Hic nulla difficultas, ni forte quam pariant Armeni & Graeci
processione Spiritus sancti contendentes eam esse à solo patre, non à
Filio. Verum res plana est: siquidem aequè Spiritus Christi est, Roman 8.
vers. 9.
ac patris: aequè Spiritus oris labiorum Christi, 2. Thess. 2. v. 8. Esa. 11.
v. 4. atq; Iehova patris.

71. Unde sic argumentari licebit: Quam ob causam Spiritus san-
ctus est Spiritus labiorum, ob eandem quoq; Spiritus labiorum atq; oris
Filij erit. Sed patris est, quia spiravit eum ab aeterno. Ergo propterea
& Filij. Et ut consequentis, Spiritus S. tam à filio quam à patre proce-
dit

AVC.

Ἰνασινῶν.

Primum Argumentum.

72. Si Deus non est unus essentia, erunt certè plures Dii. Si plures, erunt aut finiti, aut infiniti. Si finiti, eo ipso quòd finiti sunt, Dii non sunt. Si infiniti, tum multi erunt essentia infinita, quod est impossibile.

Secundum Argumentum.

73. Si Deus non creditur trinus in personis, tum non creditur ipsius testimonijs & patefactionibus, de quibus jam ante in ἡχτα. σκῶν.

Si non creditur testimonio Dei, ipse efficitur mendax 1. Iob. 5. vers. 10.

Atqui posterius hoc impium est & planè Diabolicum.

Ergo & prius.

Tertium Argumentum.

74. Si Spiritus sanctus à Filio non procedit, non est Relatio inter Filium & Spiritum Sanctum.

Consequens est ἀθεόλογον.

Ergo & Antecedens.

συμπέρασμα.

75. Deus itaq, est essentia spiritualis una, simplicissima, aeterna, infinita, ἀμέγιστος: distincta verò tribus Personis ὁμοουσιῶν καὶ ὁμοαἰδῶν, Patre Filio & Spiritu sancto: cui Sancto, Sancto, Sancto Iehova Zebaoth sit honor & gloria in sempiterna seculis.

F I N I S.



Theses de animarū statu post mortem.

Theses de Ecclesiā triumphante.

De sanctorū reliquiis et imaginibus eorū cultū, ceterisque eo spectantibus.

Them. Theol. de Sacramentis in gr̄.

De notitiis Dei et voluntatis ipsius humanis animis nā infitis et disciplinā ex cultis, D. Hofmanni, B.

Thesi de iustificatiōe hominis peccatoris coram Deo D. RUNGII.

Prop. de iustificatiōe gr̄a Flacianos Joh. Ferriarii.

Assert. Theol. de iustificatiōe hoīs coram Deo, Polyc. LYSERI.

Prop. repetentes summa dōe de iustitiā fidei ab opibz, M. Helsen, & M. Berzi.

De Ecclesiā triumphante in caelis disputatio 2, quā una de sanctorū in vitā aeternā habitudine agit M. Volkmari, altera de sanctorū cultū agit, M. Cameri.

Disp. de Providentiā Dei Wolfii.

Disp. 1. de Turcā ex c. 38 & 39 Ezob. in quā explicant. p̄st. 3.

1. qd sit Gog Magog, Babel, Mesob. 2. qd p̄ se vocab. Turca significant.

3. qd Turca sint flagella quō Deo castigat Ecclesiam. D. Salom. GESNERI.

Disp. altera de Turcā ex c. 38 & 39 Ezob. tota in refutandō duobz cap. posita, qd GESNERI.

Disp. 2. de Turcā, in quā tractat 1. de tempore ultima irruptionis Turcā in Ecclesiam. 2. de populo ad loca dōe ubi ista evenient. 3. Cuias ob cuias Turca Christianis immittat. 4. Cuias rāone sit repri. mēdy. 5. Quo pacto et qbz armis tandem medietate fūditū sint delendi, qd GESNERI.

Prop. de Ecclesiā, HUNNII.

Thesi de Predestinatiōe D. FREDERI.

Dōe de reali communiōe idiomatū in unā P̄sonā Dei, M. Berndes.

Dōe de Baptismo capite papia D. RUNGII.

Thesi de Sacramentis in gr̄ GESNERI.

Them. Theol. de orali corporis Dei in cenā manducatiōe dictibz Eucharisticis D. GESNERI.

Them. Theol. de communiōe idiomatū reali tertii gr̄i, D. GESNERI.

manu qui erant in
tunc dicitur quod
in ipso regno
nunc ad dicitur
sicut qui erant
et dicitur quod
autem in factis
nabuchodonosor
dicitur quod
ter. vobis dicitur
cubi et linguas
audientium
et fabule et cy
buce et psaltes
nie et vultu
sicut carentes
dicitur autem
in nabuchodonosor
quis autem non
satis ad totum
in massimis
quod
aliter dicitur





DEO TRINIVNO DVCE,
THEOREMA

Quod Deus unus Essentiâ, trinus sit personis.

Moderatore

REVERENDO AC CLA-
RISSIMO VIRO, Dn. IOHANNE GE-
ORGIO VOLCKMARO, S.S. THEOLO-
giæ Doctore ac Professore pu-
blico,

Contra Tritheitas & Antitrinitarios.

Ad disputationem nonam in Collegio studiosorum
Theologiæ privato propositum

à

M. IOACHIMO PRAETORIO
Lunaburgensi.

Respondente

M. GEORGIO GERHARDO
Kittingensi Fr.

6. Decembris, Anno 1595.



WITEBERGÆ,
Typis M. Georgij Mullerj, Anno 1595.

